



Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Articulus III. An & quomodo ex opinione probabili possit formari
Conscientia certa?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

ritatis, quod absque gravi fundamento à communi aliorum doctrina recedat, idque probant rationes pro secunda sententia adductæ: si habet, de illis legitime constare debet, quod non sint ex proprio scribentis iudicio [suum enim cuique pulchrum] sed ex aliorum in eo scribendi genere versatorum sententia. Atque ita conciliabis plerisque Authores circa hoc punctum sibi in speciem oppositos.

Neque obstant rationes pro prima sententia adductæ. Non prima: partim quia major est falsa: non enim Authorum numerus, præsertim cum non nisi ab aliis relata referunt, imò [ur Jo. à S. Th.] per se loquendo sola personæ Authoritas non facit probabilitatem practicam, nisi præsumptio sit fundata de iis, quod non leviter & superficialiter res serias tractant, sed cum fundamento & pondere, sive deinde sint plures, sive pauciores: partim quia licet plures Authores doceant, quod ad probabilitatem practicam sufficiat unius Doctoris autoritas, id tamen affirmant non sine limitationibus & distinctionibus præmissis.

Non secunda, quia Autoritas viri docti & pii absolute spectata non est leve fundamentum, concedo; comparata cum omni retrò antiquitate & universitate Doctorum, nego.

Non tertia & quarta: Quia Autoritas unius Doctoris respectu alicujus Personæ privatæ simplicis & indoctæ potest esse grave fundamentum; non tamen respectu totius communitatis, eorumque, qui sciunt aut scire possunt & debent, talem

sententiam esse singularem, & communi aliorum doctrinæ contrariam. Nec ad rem facit approbatio impressis Authoribus adjuncta; neque enim approbantium intentio regulariter esse solet, sententiis approbatis practicam probabilitatem asserere, vel conciliare: sed solummodo testari, nihil inibi Ecclesiæ constitutionibus, sanæ fidei, ac morum doctrinæ contrarium contineri.

Non quinta: Neque enim Ecclesia DEI illuminatur, sed potius obfuscatur novis doctrinis, quibus in nimiam vitæ licentiam conscientia laxantur: sed per deductionem aliarum, & aliarum conclusionum ex SS. PP. principiis communi Catholicorum consensu stabilitis: quo modo Angelicus Doctor suas omnes doctrinas tradidit & conscripsit.

Inferes ex dictis: Pœnitentes aut parochianos ordinariè non obligari, ut post acceptum à Confessario, vel parochio consilium, alios interrogent: siquidem prudenter possunt præsumere, ad hujusmodi officium non nisi doctos & idoneos à Superioribus deputari. Quod si de contrario constaret [uti etiam si dicas, Authorem aliquem impressum continere multas sententias damnatas & improbables, vel non fideliter citare & referre Authores] non satis tutò operarentur, si ejusmodi consilium, non requisito alterius viri pii & docti, classicæ Authoris consilio & placito, sequerentur: siquidem non adesset sufficiens persuasio de dicentis veritate, quæ ad prudentem credulitatem requiritur.

ARTICULUS III.

An & quomodo ex opinione probabili possit formari

Conscientia certa?

SUMMARIUM.

1. Status questionis.
2. Primum fundamentum sententia negantis, quod in probabilitate desit certitudo de honestate actionis.
3. Impugnatur responsio.
4. Secundum fundamentum, quod probabilitas non possit esse regula honeste rationis.
5. Tertium, quod sit conjuncta cum vincibili ignorantia obligationis.
6. Formari posse rectam & certam conscientiam ex iudicio probabili, ostenditur ex Sancto Thoma.
7. Probat ex perpetua praxi.
8. Ex ipsis principiis adversariorum.
10. Probat ratione a priori.
11. Ad formandam conscientiam concurrunt iudicium directum & reflexum.
12. Ex conscientia formaliter & intrinsecè probabili non licet operari.
13. Opinionis tantum probabiliter probabilis usus non est licitus.
14. Nec sufficit quiscunque tenuis gradus probabilitatis.
15. Operans ex opinione probabili tantum habet formidinem ex parte iudicii remoti & speculativi.
16. Iudicio opinativo accedit nova ratio persuadens operationem esse licitam.

17. Probabilitas regulata per prudentiam est regula remota humane operationis.
18. Qui errat in sequela sententia probabilis, habet invincibilem ignorantiam.

§. I.

Fundamenta negantium probabilitatem sufficere ad prudentem assensum.

PRima utriusque & benignæ & rigorosæ sententia fundamenta dilquirenda suscipimus. Habent igitur sententiæ probabilis defensores, qui ad honestatem operationis certum conscientia iudicium requirunt, pro primo quasi principio & axioma, quod opinio practicè probabilis fundat prudentem assensum, ex quo deducunt, quod sequens opinionem probabilem prudenter & licite operetur. Negant rigidæ sententiæ patroni, & ceu petitionem principii rejiciunt, oppositæ [suâ opinione] è diametro contrariam regulam: Probabilitas [quippe conjuncta cum formidine erroris] non potest esse regula humane operationis: qui cum opinione probabili operatur, dubiè, incerte adeò, imprudenter operatur. Itaque hujus fundamenti veritatem discutimus in præsentia. Et quidem Anton. Merenda in tr. de Conscientia, usum probabilitatum univèrsaliter impugnat,

nat, tanquam illum, ex quo prudens conscientia formari non possit. Quem de quacunque probabili favente libertati contra preceptum sequuntur. Vincent, Baron, Contens, Mercurus. Nam

2. Primò, Conscientia recta seu regula Divinitus derivata, & actus prudentiæ debet esse iudicium certum de honestate operationis [ut dictum in præced. art.] sed operans ex conscientia probabili non habet iudicium certum de honestate operationis: ergo non habet conscientiam rectam & certam, adeoque peccat. Minor probatur: qui operatur cum formidine, ne peccet, non habet certum iudicium de honestate operationis: sed operans ex conscientia probabili habet formidinem, ne peccet: quia hoc est de essentia assensus probabilis & opinativi, habere formidinem objecti.

3. Neque dicas: Esse tantum formidinem speculativam de objecto, non autem practicam de operatione, quam quis certò judicat esse licitam.

Nam contra est, quale est iudicium de objecto, tale est regulariter de operatione, nisi nova circumstantia, vel ratio accedat: sed iudicium speculativum de objecto est cum formidine oppositi: ergo tale est etiam iudicium practicum de operatione. Major probatur: quia iudicium practicum de operatione infertur ex speculativo tanquam conclusio ex præmissa, adeoque sequitur conditionem ipsius, ut si illa sit cum formidine, sit etiam ista, præsertim cum conclusio sequatur partem debiliorem. Ita v. g. sit discursus: *Opus non servile possum die festo licite exercere: sed pingere probabiliter non est opus servile, quamvis forte sit opus servile propter rationes, & auctoritates oppositas: ergo possum illud licite die festo exercere.* Ecce! minor, quæ est assensus speculativus de objecto, cum sit tantum probabilis opinio cum formidine oppositi, ceu præmissa influit in ultimum & practicum dictamen de operatione, ac proinde formidinem de ipsa operatione in illud derivat.

Confirmatur. Conclusio non habet majorem certitudinem, quam præmissæ, & à qualitate universalis affirmativæ est necessaria consequentia ad qualitatem suæ particularis: sed practicum dictamen conscientiæ de operatione in ordine ad iudicium speculativum de objecto, se habet sicut conclusio ad præmissam, & sicut particularis ad universalem. Unde si sit formido in iudicio antecedente, num iste contractus sit usurarius, erit etiam formido in consequente, num sic contrahendo committat usuram. Si sit formido, num Clerico liceat venari, erit etiam formido, an ego Clericus venando peccem.

Probatur secundò: Probabilitas non potest esse regula humanæ operationis: ergo conscientia probabilis non est recta. Antecedens probatur. Iudicium, quod ex se non est magis conforme, quam difforme legi æternæ, & ex proprio modo tendendi intellectum non magis ducit ad verum, quam ad falsum, non est regula rectæ rationis, quæ tanquam exemplata à suprema regula legis æternæ debet eidem conformari: sed iudicium probabile ex se non est magis conforme, quam difforme legi æternæ, quippe dubium & formidolosum de transgressione legis & errore falsitatis: ergo.

Quartò. Posito, quòd Cajus ex conscientia probabili ponat operationem illicitam à parte rei, & sic erret, tunc peccat: ergo conscientia probabilis non potest esse recta regula humanæ operationis. Antecedens probatur: qui errat ex vincibili ignorantia, peccat: sed Cajus ex ignorantia vincibili errat: ergo. Minor probatur. Ille errat ex vincibili ignorantia, qui tenetur cavere errorem, eumque aliquo modo prævidet; sed qui habet conscientiam probabilem, ratione formidinis prævidet aliquoties errorem, eumque tenetur vitare ex hypothesi: ergo.

§. II.

Contraria sententia adstruitur.

His tamen nequaquam obstantibus certum esse debet, posse ex opinione vere probabili [abstrahendo à concursu aquæ aut magis probabilis] formari prudens ac certum iudicium conscientiæ rectæ. Ita colligo ex S. D. in quolib. 8. a. 13 ubi instituta questione, num peccet, qui sciens contrarias in utramque partem opiniones DD. nihilominus iudicat, sibi licitam esse habere plures præbendas? cum distinctione respondet: *Aut in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & sic si manente tali dubitatione plures præbendas habet, scilicet se committit, & sic procul dubio peccat. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem inducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Supponit itaque S. D. fieri posse, ut quis ex contrarietate opinionum probabili, quales sunt in posito casu, nullam habeat practicam dubitationem, adeoque ut cum probabili opinione conjungatur iudicium certæ & rectæ conscientiæ, sufficientis ad licitam & honestam operationem.

Probatur primò. Nisi ex probabili opinione posset formari certa & recta conscientia, vix quicquam licite fieret, ex omnibus, quæ quotidie fiunt & practicantur in Curii Principum, in tribunalibus iudicum, Consistoriis Episcoporum; cum pleræque sententiæ non nisi probabilibus nitantur fundamentis, & rarissima sit in casum emergentium decisionibus certitudo. Pervolve Theologos Scholasticos, Morales, Antiquos, Novos Celebratissimos Sacri Civilisque Juris interpretes, sanè pro fori interni externique directione pauca invenies certa, pleræque documenta probabilia. Circumstantias intra eandem speciem aggravantes non necessariò subjiciendas confessioni, innocenter privatâ scientiâ & notitiâ, sed secundum allegata & probata nocentem, etiam capitali sententia damnari posse, opinio tantum est, eaque probabilis: utramque tamen tradit D. Th. non pro schola, sed foro & iudicio tum interno pœnitentiæ, tum externo, aliis Doctoribus contrarium sentientibus. Si ex hac probabili D. Thomæ Doctrina secuta & certa conscientia formari non potest, quæso, ex quam Authorum doctrinâ formari poterit? an ipse S. D. excusari poterit, pro usu & praxi tradens merissimam opinionem, quæ [utpote in certâ conscientia dictam] juxta adversariorum principia non reducibilis in usum & praxin licite deduci non potest? Sed de hoc plura paulò inferiùs. Ipsi Summi Pontifices

fices eum maturo consilio vel in solenni Religio-
nis voto, vel in matrimonio rato dispensarunt,
non nisi probabilem opinionem sunt secuti, cum
de facto multi graves DD. praesertim Thomistae
censeant, utrumque vinculum esse indispensabi-
le: nec absque temeritate dici potest, ipsos teme-
rè, & absque prudenti conscientiae dictamine in
re tam gravi processisse.

§. Probatur secundò argumento ad hominem ex
ipsismet adversariorum principiis: *Sententiam,*
qui nihil obstat, & ex alio medio positivè est proba-
bilis, possum tutà conscientia sequi [Ita concedit
Jul Mercor. p. 1. a. 15.] ergo potest ex tali sen-
tentia probabili formari iudicium prudens con-
scientiae. Omnino, inquis; sed *ca ratione, quã*
nihil ei obstat, concedo; ratione mediè precise, quò
dicatur probabilis, nego. Contra: quòd nihil ob-
stet, non facit, quòd minus sententia ex medio pro-
babili deducta sit opinio, contenta intra limites
probabilitatis; neque enim ex hoc intellectus e-
videnter convincitur, & necessitatur ad præstan-
dam assensum; e. g. ex hoc, quòd habeam signa
probabilia, è quibus iudicem poenitentem esse
contritum, & nulla adsint motiva positiva in
contrarium, non sequitur, quòd certò iudicem
illum esse contritum; non enim [ut argumento
adversariorum utar] plus potest esse in assensu,
quàm in motivo: atqui motivum est merè pro-
babile: sequitur ergo, quòd vel sententiam pro-
babilem, etiam cui nihil obstat, non possum tutà
conscientia sequi; vel quòd ex opinione proba-
bili certificari possit conscientia, quorum utrum-
que repugnat doctrinæ adversariorum.

Confirmatur. Quoties habeo sententiam ve-
rè probabilem positivè, toties nihil obstat: ergo
possum illam licitè sequi, adeò què ex illa formare
iudicium certum conscientiae. Antecedens pro-
batur. Vel obstatet alia sententia æquè vel ma-
gis probabilis, vel lex, vel illa regula, in dubiis
inter pars est eligenda.

Primum non obstat dicemus §. §. seqq. nec
obstat lex, quia illa esset lex dubia, cui pravalet
possessio libertatis [ut dictum in præced. Inec ob-
stat illa regula; quia hæc locum habet in parte
adversativè tutiori, quæ opponitur non tutæ:
atqui sententia verè probabilis est verè tuta, ut
dicemus.

§. Rursus. Quisquis prudenter disponit formi-
dinem practicam, format certam & prudentem
conscientiam, sicuti qui prudenter deponit du-
bium practicum, format prudentem conscientiam:
sed habens opinionem verè probabilem
potest prudenter deponere formidinem practi-
cam: ergo. Minor probatur. Depositiò formi-
dinis practicæ, seu certificatio facile potest ha-
beri per media extrinseca, ut sunt *Authoritas Do-*
ctorum, usus, consuetudo, prescriptio, presumpcio,
possessio, tolerantia, exemplum &c. [Mercor. 1. p.
a. 14.] Et: *Si, qui debet operari, est rudis, facile*
potest certificari consilio Confessarii, vel proprii Pa-
trachi, vel alterius viri docti & probi, quorum Au-
thoritas sufficit, ut tuis operari possit &c.

Sed, quisquis habet opinionem verè probabi-
lem, habet isthæc media pramemorata, & motiva
extrinseca, quòd sibi sit licitum sequi in praxi sen-
tentiam verè probabilem, ut latius expendemus

in sequentibus: ergo potest deponere formidi-
nem practicam.

Confirmatur 1. Omnia hæc media extrinseca
prædicta non transcendent limites verè probabi-
litaris: ergo per ipsos Adversarios probabilitas
practica sufficit ad certificandam conscientiam,
sicque plus conceditur, quàm petitur.

Confirm. 2. ex ipso Fagnano n. 99. *Si rationes*
probabiles sint plures, & tanti ponderis atque mo-
menti, ut illis intellectu sine ulla formidine acquie-
scat, & iudicet, rem ita se habere, hæc est moralis
certitudo, quæ sufficit ad rectè operandum. Ergo
habens opinionem probabilem potest deposità
formidine practica formare iudicium conscientiae
moraliter certum.

Probatur terciò fundamentali ratione à priori.^{10.}
Quisquis operatur ex conscientia verè probabili,
potest ex certis præmissis deducere ultimum iu-
dicium conscientiae practice practicum: ergo
potest formare conscientiam certam. Antee-
dens probatur: Sit, qui deliberet, an pro hone-
sto rei domestice incremento liceat sibi inire
contractum census utrinque redimibilis: is ex
suppositione, quòd opinionem de licetitate hu-
jus contractus habeat pro verè probabili, sic pote-
rit, si non semper formaliter & explicitè, saltem
virtualiter & implicitè ratiocinari: *Illum con-*
tractum hic & nunc licitè in eo, quem prudenter
censeo esse licitum, vel qui mihi prudenter appare-
litus: sed contractum census utrinque redimibi-
lis prudenter censeo esse licitum: ergo contractum
census redimibilis licitè in eo. Major est certa:
nam ex prudenti assensu intellectus sequitur pru-
dens electio voluntatis, quæ veluti ceca potentia
undequaque à prævio intellectu dictamine re-
gularatur. De minoris propositionis forsitan veri-
tate & certitudine dubitat? nam quo pacto cer-
ta est, quam omnes oppositæ sententiæ Authores
negant? opinativè, inquis, censeo illum contra-
ctum esse licitum: ergo non prudenter; opinio
quippe includit formidinem, ne contractus non
sit licitus, prudentia excludit: illa versatur circa
objectum opinabile, ideoque incertum; hæc
circa objectum infallibile & certum. Verum, si
rem bene inspicias, etiam hanc præmissam vide-
bis esse certissimam: nam illud prudenter censeo
esse licitum, quòd bonâ fide adhibetâ diligentia
debitâ ex motivis gravibus, & ad prudentem as-
sensum sufficientibus censeo esse licitum: ergo
prudenter censeo esse licitum. Major ex termi-
nis claret; aliàs motiva essent ad prudentem as-
sensum sufficientia, & non essent. Minor est æ-
què certa; nam motiva opinionis verè probabi-
lis non aliunde sunt distincta à motivis sententiæ
improbabilis, vel tantum probabiliter probabilis,
nisi quòd illa sunt tam ponderosa & gravia, ut
prudens & recta ratio iudicet illa digna assensu
[propositio probabilis, inquit Mercorus, est, pro qua
stat motivum urgens & grave] ista verò non sunt
tanta, ut prudens ratio æstimet digna assensu, nec
alia est ratio, cur in speculativis aliquis pruden-
ter existimet, hanc sententiam esse veram, cur
Confessarius prudenter existimet, poenitentem
esse contritum, cur prudenter existimet, hanc
hostiam esse consecratam, nisi quia prudens & re-
cta ratio dicit, adesse motiva digna assensu. Cum
enim

enim in innumeris veritatibus tam speculativis quam practicis motiva non sint convincentia, ideoque necessarius sit voluntatis impulsus, quo intellectus applicetur ad hujus vel illius opinionis assensum, ad prudentem & rectam rationem seu arbitram pertinet, inspecta motivorum dignitate sententiam ferre, an absque temeritate vitio voluntas intellectum ad assensum hujus opinionis applicare possit, & si judicet posse, hoc ipso voluntas prudenter applicabit, intellectus prudenter assentietur; & [siquidem processus fiat ad dirigendam operationem] ex prudenti assensu prudens dictamen conscientiae derivabitur. Sicuti ex eo, quod prudentia dicitur, in his circumstantiis hostiam esse habendam pro consecrata, sequitur illam esse adorandam. Unde ista propositio: *Hunc contractum prudenter censeo esse licitum*: non est opinativa, sed prudentialis & certissima, quantumvis originari possit in alia praesupposita opinativa tantum, qua judicem absolute, hunc contractum esse licitum. Quod ut fiat planius.

11. Advertendum est, in practica consultatione, qua conscientia ex probabilibus formatur, posse intervenire formaliter vel virtualiter duplex, aut triplex judicium: Primum remotum, inchoativum & directum est, quo cum formidine oppositi intellectus vi talium motivorum prudenter [hoc est juxta directionem prudenter] opinatur contractum esse licitum; alterum est proximum conscientiae, sed reflexum & certum, cum nempe intellectus supra opinionem reflectens, judicat illam verè probabilem & prudentem, quod est judicium certum & propositio non absoluta, sed modalis, modum prudentialitatis & probabilitatis includens: Hinc reflexioni potest accedere altera; si cogites usum verè probabilitatis communissimo ac durissimo DD. consensu & doctrina, Academicorum, praesertim in Consiliis formandis, virorum aequè doctissimorum ac piissimorum usu & praxi receptum esse, quod principium infra amplius stabilendum etiam ex Adversariorum confessione sufficit ad conscientiam moraliter certificandam. Unde vides, tamen remotum judicium [quod comparatione ad proximum speculativum dicimus] sic opinativum; quia tamen proximum & practicum, ex quo conscientia infertur, est moraliter certum: ideo ex probabili opinione certam conscientiam deduci posse.

§. III.

Corollaria.

12. **E**X dictis inferes primò. Quo sensu verum sit, quod quis ex conscientia probabili licite operetur. Nam vel conscientiam vocas probabilem formaliter & intrinsecè, videlicet ex actu formali conscientiae proximè dirigente operationem, & sic falsum est, quod liceat operari ex conscientia probabili; quia actus conscientiae, qui est regula honestae operationis, debet esse certus & prudentialis; assensus verò probabilis est intrinsecè opinativus & incertus, includens formidinem oppositi. Vel vocas probabilem tanquam extrinsecè, praesuppositivè, & originativè, quia nempe originatur in speculativo judicio probabili & opinativo, tamen ex parte ultimati assensus sit con-

scientia certa absque formidine oppositi, & tunc licet operari ex conscientia probabili: tunc enim operans supponit practicam formidinem depossuisse, & formare prudens dictamen conscientiae, quod hactenus ostendimus. Nec refert, quantumvis ex parte judicii praesuppositi remaneat formido [quam latiori sensu etiam dubitationem appellant] obest operanti. Debet igitur operaturus ex probabili opinione, modis praedictis formidinem practicam deponere, quod si negligit, non excusabitur à peccato, quippe qui male agit & imprudenter operatur, ac temerè seletingit periculo peccandi: neque per ignorantiam invincibilem excusatur.

Inferes secundò: Non posse formari judicium certum rectae conscientiae ex opinione tantum probabiliter probabili: neque proinde [nisi excusante necessitate] talis sententia ulum & electionem licitam fore. Ita Honoratus Faber, Ferrillus, Beatus, & plerique tam Theologi, quam Canonistae contra Caramuelem, Tamburinum, & nonnullos alios. Ratio est: quia ut possit formari judicium certum conscientiae, debet adesse praevium aliquod judicium certum, quale ostendimus adesse, cum conscientia formatur ex opinione verè ac certò probabili: sed tale nullum adest: ergo. Ais: Adesse illud: quod opinioni probabili prudenter assentior. Contra, ideo prudenter assentior opinioni probabili, quia juxta prudentem & rectam rationem est digna assensu, sive quia habet talia motiva, quae prudenter judicantur digna assensu: sed hoc solummodo convenit sententiae verè & praedictè probabili: quia quamdiu non certò constat, quod motiva sint digna assensu, tamdiu non potest judicari opinio esse digna assensu: sed quamdiu opinio habet conjunctam formidinem improbabilitatis [uti fit in opinione tantum probabiliter probabili] tamdiu non certò constat, quod motiva sint digna: ergo etiam quamdiu opinio habet conjunctam formidinem improbabilitatis, tamdiu non potest prudenter judicari digna assensu.

Accedit primò. Illa motiva non merentur prudentem assensum, quae de hoc ipso sunt dubiae: sed motiva, quae faciunt aliquam opinionem probabiliter probabilem, sunt dubia, num mereantur prudentem assensum, eò quod opposita motiva sunt tanta, ut faciant suam opinionem probabiliter certam; ergo non mereantur prudentem assensum.

Accedit secundò. Quòd in probabilitate tantè accepta vix appareat discrimen à laxitate conscientiae & sententiarum, unde quaeque ab utriusque tam benignae, quam rigidae sententiae auctoribus merito impugnatà; Pontificis quoque decretis frequenter fulminatà: ubi hoc tantum merito improbandum, quòd à Iustis non adeò multis quidam DD. ardentiori zelo pro morum disciplina correpti, dum vellent ac deberent laxitatem, universam probabilitatem, cujus nominè illa palliata intraverat, oppugnare ceperunt; cum potius probabiliterem, sine qua inter homines nec vivitur, nec vivi potest, furtivo usurpata laxitati eripere, suae integritati restituere, & verè à lucatis distinguere debuissent.

Infero

14. Inferes tertio. Quemcunque probabilitatis gradum nequaquam sufficit, ut exinde recta conscientia & honesta operatio deriveretur; nam tenuissimus probabilitatis gradus reperitur intra opinionem etiam tantum probabiliter probabilem: sed ista non sufficit ad rectam conscientiam, juxta prædicta; ergo nec ille. Opposita sententia damnata merito, & rejecta est à Summo Pontifice D. N. Innocentio XI. in nuperissimo decreto edito anno 1679, n. 3.

15. Ad rationes in contrarium, & ad 1. Respondeo negando minorem, probationem distinguo: qui habet formidinem practicam & ex parte iudicii proximi, non habet conscientiam certam, concedo; qui habet formidinem tantum speculativam, & ex parte iudicii remoti, nego: Sed operans ex opinione probabili habet formidinem speculativam, concedo; practicam, nego minorem & consequentiam.

16. Ad secundum Respondeo. Ut ex opinione probabili formetur recta conscientia, esse necessarium, ut ad iudicium opinativum de objecto accedat nova ratio, quæ certò persuadeat, operationem esse licitam, quod fit tum reflexione supra iudicium opinativum modo explicato, tum etiam supra communem praxin, auctoritatem & possessionem libertatis. Et ad illum discursum: *opus non servile &c.* dico illum esse virtualiter reflexum supra probabilitatem opinionis, propter hanc probabiliter positum in minori, & facere hunc sententiam: *Opus, quod mihi prudenter apparet non servile, possum licite die festo exercere: sed pingere prudenter mihi apparet opus non servile: ergo possum illud hoc die festo licite exercere.* Ubi ex ultra-

que præmissa certa & evidenti sequitur similis conclusio. Sicut si in simili dicas: *Hunc penitentem prudenter absolvo, qui mihi prudenter apparet contritus, etsi forte non sit talis: sed iste mihi prudenter apparet contritus: ergo.* Hinc patet responso ad Confirm. nam conclusio non habet majorem certitudinem, quam præmissa proxima, concedo; remota, nego.

Ad tertium Respondeo. Probabilitas non potest esse regula humanæ operationis formalis, proxima, & antequam sit regulata per prudentiam, concedo; occasionalis, remota, vel quatenus regulata per prudentiam, nego.

Ad quartum respondeo. Si Cajus erret in se-
quando opinionem probabilem, non peccare ex ignorantia vincibili, qui non adhibuit omnem diligentiam, quam potuit & debuit adhibere ad cavendum errorem: sed Cajus adhibuit omnem diligentiam, quam potuit adhibere, quia certitudinem in objecto merè probabili reperire non potuit; etiam quam debuit, quia ad plus non tenetur, quam ne temerè & imprudenter assentiat objecto. Ad probationem Respondeo: Ille vincibiliter errat, qui tenetur cavere errorem, adhibendo diligentiam debitam in veritate investiganda, eumque prævidet, tanquam ex omissione debitæ diligentiae eventurum, concedo; alias quomodocunque eventurum, nego. Sed habens conscientiam probabilem ratione formidinis aliquantulum prævidet errorem, ut quomodocunque possibilem evenire, concedo; ut ex omissione debitæ diligentiae eventurum, nego minorem & consequentiam.

ARTICULUS IV.

An sit possibilis electio opinionis probabilis in concursu æquè probabilis, vel probabilioris?

SUMMARIUM.

1. Status questionis.
2. Fundamenta Mercori negantis hanc possibilitatem.
3. Impugnatur hoc singularis sententia.
4. Rationes pro possibilitate eligendi probabilioris.
5. Salvantur rationes Mercori.
6. Fundamenta sententia negantis possibilem assensum opinionis æquè probabilis.
7. Impugnatur hac sententia.
8. Et probatur opposita.
9. Respondetur ad rationes sententia contraria.
10. Rationes sententia negantis posse intellectum assentiri opinioni minus probabilis.
11. Impugnatur hac sententia & opposita statuitur.
12. Respondetur ad opposita fundamenta.

§. I.

Statuitur possibilitas eligendi probabilioris in concursu minus probabilis.

1. Convenit inter omnes, posse quempiam eligere opinionem magis tutam, sive ventem præcepto, sive illa sit magis, æquè vel minus probabilis, quam opposita: tunc enim ex indubia honestate

objecti movetur ad operandum, & formandum rectæ conscientia iudicium. Nec minus convenit, licitum esse sequi probabilem opinionem, cui in intellectu opinantis contradictoria nulla opponitur. Quæritur ergo, an, cum duæ opiniones contradictoriè oppositæ, quarum una tutior, & favens præcepto [asserens actum illicitum] altera favens libertati [v. g. asserens actum licitum, nullam esse obligationem &c.] eidem intellectui obijciuntur, suntque ex gravibus motivis probabiles, possit intellectus minus tutæ, sive magis, sive æqualiter, sive minus probabilis assensum præbere: & eò quidem sententia rigida argumenta provehantur, ut non tantum contendat, intellectum hoc licite & prudenter non posse, sed ne quidem defectu sufficientis libertatis physicè posse, ita nimirum ut intellectus utriusque partis motivis seu vinculis impeditus in neutram partem resolvat. Hanc partem præsentis, priorum sequentibus §§. disquirimus. Unde

Quæritur primò. An possit intellectus assentiri opinioni probabiliori in concursu, & sensu composito opinionis minus, sed verè probabilis? Et contra communem aliorum opinionem & experientiam Respondet Jul. Mercorus p. 2. art. 7. negativè.